



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.

Caput X. De Communione in Paschate, & mortis articulo à fidelibus
facienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42206

80 DE EUCHARISTIA

bent in pueris moribundis. Ita probabiliter *Nau. cap 21 n. 57. Vajq.* cum aliis, quia obligatio divini præcepti, quo obligamur ad Communionem non citius oritur, quam obligatio præcepti Ecclesiastici. *Suar. tamen, Rhodes Tom. 2. Theol. Scholast. disp. 1. de Eucharistia q. 3.* cum aliis censet puerum puellamve Sacramentalis Confessionis capaces, in extremis esse necessario muniendos sacro Viatico. Quæ sententia utpotè magis pia, ubi commodè potest, in usum non malè redigetur; præsertim si petat sacram Communionem puer octennis, aut novennis.

C A P U T X.

De Communionem in Paschate, & mortis articulo à fidelibus facienda.

Qui, dies nomine Paschæ intelligantur.

Cum superius dictum sit, omnes fideles ad minus in Pascha teneri suscipere sacram Communionem; sciendum est, nomine Paschæ jure communi eos intelligi dies, qui numerantur à die Palmæmarum

UT SACRAMENTO. 81

marum usque ad Dominicam in
albis inclusivè, ita ut quolibet
horum dierum possit præcepto sa-
tisfieri. Quamvis alibi tempus
Paschale totam Quadragesimam
complectatur, aut etiam in qui-
busdam locis duas hebdomadas
ante Pascha, & duas post compre-
hendat. Potestque Confessarius ex
justa & ob notabile incommodum
pœnitentis rationabili causa hoc
tempus extendere. Vid. *Bon disp.*

An Confes-
sarius tem-
pus pascha-
le possit ex-
tendere.

4. q. 7 p. 2. Sa. & alios. Ubi nota,
si contingeret festum Annuntiatae

Virginis, aut alterius cujusdam
Sancti, in Sabbatum præcedens

Dominicam Palmarum anticipatò
transferti, communicans in ejus-

modi Festo satisfacet præcepto
Ecclesie, ut *Gob. tr. 4 cas. 3.* pro-

bat ex rationabili & præscripta
consuetudine, præterquam quod

parùm distat, nihil distare videat-
ur, & taliter communicans mo-

raliter videatur facere Commu-
nionem intra tempus Paschale.

Qui tempore Paschatis vel noluit
cum posset, vel non potuit, cum

vellet communicare, secundum
Sylv. Henriq. &c. non tenetur

compenfare omissam Commu-
nionem, secundum *Laym. Bonac.*

D. 5 &c.

Quid si
sabbatho
præcedente
dominica
Palmarum
festò eo
die occur-
rente quis
communi-
casset.

Impeditus
in Paschate
an alio tē-
pore tenea-
tur com-
municare.

82 DE EUCHARISTIA

&c. tenerur : Nam quando præceptum aliquod, unum præcipit principaliter, alterum verò secundariò, etsi hoc quod secundarium est, negligatur, aut servari non possi, debet tamen impleri, quod principale est. Sicuti Confessar. us præcipiens jejunium die Sabbathi, si pœnitens eâ die non jejunet, debet aliâ jejunare. Sic principalis Ecclesiæ intentio videtur esse obligandi fideles ad Communionem singulis saltem annis semel sumendam; secundariò autem determinat tempus Paschale. Similiter qui prævidet se impediendum à sacra Communionem in Paschate, secundum quosdam tenerur prævenire, & alio die communicare, secundum alios non tenerur, utrumque præbabiliter. Vid. *Azor. Tom. 1. l. 7. c. 41. q. ult. &c.* Alii tamen re-
 etius cum *Laym. lib. 5. tr. 4. c. 5.* ita distinguunt; aut jam semel illo anno communicasti, aut non, si communicasti, non est juxta Superiorem sententiam obligatio præveniendi; si non communicasti, obligaris, quia delinques contra præceptum, non quidem Paschalis, sed annuæ Communionis:

Aut prævidens se impediendum tempore Paschalis.

UT SACRAMENTO. 83

nis : Tenemur quippè singulis
 annis adire semel sacram Com-
 munionem, & hæc distinctio ma-
 ximè probanda est. Nullo autem
 modo satisfit præcepto Paschali
 per Communionem sacrilegam,
 id est indignè sumptam. Vid.
Sent. damn. ab innoc. XI. n. 55.
 Debet autem Communio Pascha-
 lis sub gravi obligatione fieri in
 Ecclesia Parochiali, dum enim ju-
 bebatur eam percipere de manu
 Parochi, id sanè alibi fieri non
 potest, quam in Ecclesia Paro-
 chiali, quod intellige, nisi ex pri-
 vilegio vel proprio vel alieno tibi
 alibi communicare liceat v. g. in
 Ecclesia Regularium. Possunt ta-
 men excusari, qui in Ecclesia Ca-
 thedrali communicant, ubi non
 constat de contraria legitima con-
 suetudine. Eò quod in hac Ecclesia
 adsit Episcopus totius diocesis
 Pastor. Vid. *Tamb. in Meth. comm.*
cap. 4. §. 4. Sic etiam excusantur
 ii extra Parochiam communican-
 tes, in quibus prudenter præsumi
 potest tacitus consensus Pastoris,
 qualis subindè, etsi non semper
 præsumi posset in militibus præsi-
 diariis, aulicis, studiosis, aliisque.
 Vid. *Laym l. 5. nu. 4. cap. 7.*

An præce-
 pto pascha-
 li satisfieri
 possit per
 Commu-
 nionem sa-
 crilegam.
 Quo loco
 communico
 paschalis
 fieri debeat.

Quid dicè-
 dum de illis
 in quibus
 prudenter
 præsumitur
 consensus.
 Pastoris :

32 DE EUCHARISTIA

num. 4. Medull. Bus. Lib. IV. tr. 9. de Euch. c. 1. d. 1. p. 166. Tamb. l. c.

Item de ad-
venis, pere-
grinis, va-
gis.

Similiter excusantur advenæ, peregrini, vagi, qui ob distantiam nequeunt adire propriam Parochiam. Hi enim satisfaciunt communicando vel in Parochia, in qua sunt, vel certè in Ecclesiis Regularium, & licet Authores hos non obligent ad communicandum extra Parochiam, longè tamen probabilius est eos ad hoc teneri juxta commune adagium: Qui non potest facere, quomodo tenetur, tenetur facere modo, quo potest. Vid. *Gob. tr. 4. cas. 5.* Cæterum pœna, quæ

Qualis pœna statuta in negligētes annuam vel paschalem Communionem. Quid circa hanc servandum Parochis.

statuitur negligentibus annuam vel Paschalem Communionem, ut nimirum vivi arceantur ab Ecclesia, mortui Ecclesiasticâ sepulturâ priventur, non est latæ, sed ferendæ sententiæ. Quare Parochi, cum jurisdictione in foro externo careant, non facillè alicui eam inferre debent, nisi prius monito, & jubente ordinario, præsertim si omisso Confessionis vel communis aliquâ causâ excusari posse videatur. Inspiciendæ etiam sunt in ea re speciales Dioecesium consuetudines. *Gob. loc. cit. cas. 3.* Quod autem vult

GAVANT,

UT SACRAMENTO. 85

Garant p. 4. Tit. 1. n. 8. Omnes Sacerdotes Feria V. in Cœna Domini teneri communicare de manu Superioris representantis Christum, in ultima Cœna suos discipulos communicantem. Id alii negant respondentes verba Congregationis id jubentis Anno 1606. à præfato Authore allegata, non inducere vim obligationis, eo quod hæc Declaratio non obtineat vim legis ob defectum unius aut plurium Conditionum necessariorum ad hoc, ut Declarationes Cardinalium habeant vim legis. Profectò in Germania vel ignoratur hæc Declaratio vel usu recepta non est tanquã obligatoria. Nam plures Germani Theologi docent licere cuivis Sacerdoti eo die privatim Sacrum celebrare. Sacerdos autem more laico communicans est conformiter consuetudini Ecclesiæ stolam induere debeat, hanc tamen omittens non peccabit saltem graviter. Vid. *Barbos. de Pastoral. c. 20.* Item *Henriq. Bonac.* &c. testantes hunc stolæ usum alibi non observari. Sicut autem fideles in Paschate sub gravi obligatione tenentur communicare; Ita graviter quoque obligantur ad

Utrum omnes Sacerdotes teneantur feria V. in Cœna Domini communicare.

Sacerdos more laico communicans an peccet omitendo stolam.

Qualiter

fideles obli-
gentur ad
sumendam
Euch. in
articulo
mortis.

An manè
cōmunicans
si sub ves-
perum inci-
deret in
periculum
mortis, ite-
rum com-
municare
teneatur.

sumendum in articulo mortis sa-
crum Viaticum, id est, quando
sunt in periculo mortis vel certo
vel probabiliter imminentis, nisi
fortè paucis v. g. octo diebus ante
sacram Eucharistiam sumpissent:
Talis enim sumptio habetur pro-
sūptione Viatici secundum *Suar. de
Euch. disp. 69. sect. 2. &c.* Contra
Dianam part. 1. tr. 3. resol. 33. &c.
quosdam alios, qui non improba-
biliter volunt eum, qui manè
sumpsit sacram Communionem
nihil cogitans de morte, si sub
vesperum incidat in periculum
mortis, iterum tēneri communi-
care, sacramque Communionem
sumere per modum Viatici; verūm
hæc obligatio ab aliis non agno-
scitur, imò probabilius judicant,
id non licere, quia Ecclesia nec
tacitè nec expressè unquam ex-
cepit huic casum improvise mor-
tis à communi lege, quâ jubemur
Eucharistiam tantum semel & je-
juni sumere. Interim non caret
probabilitate sententia, quæ per-
mittit in prædicto casu duplicem
unius diei Communionem. Vid.

*Quintanadv. de Euch. Sing. 9.
num. 5. &c.*